



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 177. Simultates Papam inter & Alphonsum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1455.

ferre. Addebat, in Germania plures Principes adversus Infideles voti etiam religione sese obstrinxisse; Carolum Gallicarum Regem a suorum Prædecessorum vestigiis haud recessurum, nec Anglos operi huic defuturos; a Castellanis quoque & Lusitanis, ceterisque nationibus nonnisi tempus expectari, quo summus Pontifex pro fidei defensione pugnam inchoari juberet; reliquum itaque tantummodo esse, ut Sanctitas sua omnium fidelium vota secundet, aperiatque Ecclesiæ thesaurum, ac denique Viros mitat, qui messem colligant. Verum omnes istæ amplissimæ Principum pollicitationes caruerunt successu, solusque Pontifex muneri suo strenue intentus erat.

§. CLXXVII.

Simultates Papam inter & Alphonsum.

Æn. Sylv.
Europ. c. 58.

Omnium primus promissi fidem violavit Alphonsus Arragonum Rex, & Neapolitani Regni possessor. Hic cum Callisto haud aliter, ac esset sibi similis, agere, Papamque sibi quodammodo subjectum reddere moliebatur; unde missis ad eum Legatis ab illo sciscitabatur: an in pace cum eo vivere vellet? Papa non nihil hoc quæsito commotus respondit. *Regna sua ipse regat, milii summi Apostolatus regimen relinquat.* Ex illo tempore

pore Alphonsus Pontifici offensus, nul-^{Sæcul. XV.}
 lam odii ac vindictæ exercendæ oppor-^{A C. 1455.}
 tunitatem prætermisit; ex illis vero, qui
 sese huic contentioni implicarunt, aliqui
 Papæ exprobrabant, dicentes, indignum
 esse, quod a Rege animum suum averte-
 ret, cum tamen in ejus ditionibus natus,
 illius olim domesticus fuisset; ac paulo
 ante ejus auxilio ad Cardinalitiam digni-
 tatem ascendisset: alii econtra, qui su-
 premo Christi Vicario debitum subtrahi
 obsequium ægre ferebant, in Alphonsum
 Arragoniæ Regem culpam rejecere; &
 forte non immerito, si rationes, quibus
 Rex se ad tantam arrogantiam incitatum
 jactitabat, perpendantur. Postulabat e-
 nim Alphonsus a summo Pontifice, ut non
 modo illum, sed etiam Ferdinandum
 Nothum ejus filium, quem eo ex fine Eu-
 genius, & Nicolaus Pontifices natali-
 bus restituebant, in jure ad Neapolis re-
 gnum confirmaret, sed insuper petiit, ut
 ei Marchiam Anconitanam, pluresque a-
 lias urbes, quæ ad Ecclesiæ Patrimo-
 nium pertinent, traderet.

§. CLXXVIII.

Occasiones simultatum inter utrumque.

Nihil tamen acrius Alphonso bilem mo-^{Comment.}
 vit, quam quod Calistus Papa plures ^{Pii II. lib. 2d}
 urbes recuperasset, pluraque jura a Nea-^{Antonin.}
 tit. 22, §. 1.
 polis